

quae iudiciale indaginem exigunt poenis in eos si secus egerint et in id procurantes adiectis conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque constitutionibus a praedecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis, quae vestrae possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim a praedicta sit sede indultum, quod excommunicari vel suspendi aut interdicti aut extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indultu huiusmodi et eorum personis locis ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia indulgentia dietae sedis generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam vestrae iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Ceterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonice praepeditus, quodque a data praesentium sit vobis et unicuique vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praemissis omnibus coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent et iurisdictionis vestra et cuiuslibet vestrum in praemissis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimam extitisset, quodque praesentes litterae per concedentis obitum non exspirent, constitutione apostolica super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Datum Romae apud sanctum Petrum V. Kal. Julii pontificatus nostri anno septimo.

Duplicata gratis de mandato domini nostri papae.

G. Bothorn.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.

No. 183. 1398. I. Apr.

*B. Heinrich von Merseburg ertheilt eine Vorschrift über die Kleidung des Probsts und der Chorherren.*

Henricus dei et apostolicae sedis gratia episcopus Merseburgensis honorabili ac religiosis viris dominis .. praeposito et fratribus canonicorum regularium ordinis sancti Augustini monasterii sancti Thomae in Lipezk nostrae diocesis salutem et perpetuam in domino caritatem. Sanctorum decrevit patrum antiquitas, ut in monasteriis regularibus fratres habitum debeant conformem gestare, cum diversitas inter fratres odium concipit, invidiam parit et generat lites. Hinc est quod in monasterio vestro fratres cophiis seu almuciis varii coloris uti hactenus consuevistis, nos proinde